Zapartowicz Jan: Quaestio philosophica de principio individuationis.

QVÆSTIO PHILOSOPHICA

DE


Principio Indiuiduationis,

A

M. PAVLO ZAPARTOWIC, Collega Minore; in clarissima totius Regni Poloniæ Academia Crac. publicè ad disputandum proposita, pro sui inter Professores Collegij Maioris cooptatione.

Permissu M. D. RECTORIS.

Disputabitur in Mense Martio, Die 30 Hora 12 Anno Domini 1623.



CRACOVIÆ,
In officina Typogr. Matthię Andreouiensis.

IN STEMMA.



Quod cuncti metuunt virtutis vincere summæ est,
En patet vt vincat Virgo decora feram:
Sic FRANCISCE *domas* DEBINSKI *Marte feroces*
Hostes, haec virtus quanta trophæa dabit.

Generoso & Magnifico Domino,

D. FRANCISCO DĘBINSKI,

Domino & Hæredi in Zabno, Greboszow, &c. &c.

Domino & Patrono amplissimo S. D.



Mplitudo Virorum Illustrium, genere nobilium, & in omni foro præstantissimorum, quod non poterat perficere in Schola Regni Poloniæ, in quo minime valuit malitia & inuidia Academicis destinatò hostium cœtus, sua sponte Academia, & vera ingeniorum mater, id dum facit, profectò si aliquam rem, hanc vel vnicam, qualicunque testimonio, apud viros Illustres, magni iudicij & summæ eruditionis testatam filij facere debemus Generose & M. D. FRANCISCE. Quis enim

nescit toto aliquot annorum tempore exacto, nihil facilius dici, nihil frequentius audiri, iam in publicis comitijs, iam in priuatis conuenticulis, ne dicam per compita Reformatione. Nihilominus cum sit omnibus ex vtraque parte gratissima dari non potest, qui velit hac in parte suam cum ea qua par est dignitate authoritatem interponere. Id causæ quantum assequor credo quod quisque ingenuus, visis rebus Academicis, incorrupto iudicio iudicat, positas semel eius leges, intemeratè esse seruandas, siquidem quæ in suo statu manent, etsi deteriora prima fronte quibusdam appareant, tamen multo vtiliora sunt Reipub. his quæ per innouatores, meliora indicantur. Quanto enim sunt quæque antiquiora, tanto honoratiora censentur: quæ si ad Lydium vt aiunt lapidem diligentius examinabuntur, omnia ordine meliori disposita esse, quam quorumdam iudicio: qui vt aliquid sui videantur afferre, etiam recta commutare, ne dicam quadrata rotundis cupiunt, agnoscet, Quia vero sunt aliqui, apud quos nihil præter oculiferia, quique literas nostras minime lucere putantes,

non

non iam eorum reformationem, sed (quod capiti illorum reseruetur. Damna enim qui parant alijs, proprio parant hepati damna) extirpationem expectant. Et qui obliti etiam vocationis, ne dicam humanitatis dum varios ac varios impetus in nos faciunt. Ecce mater Academia etiam hac ipsa tempestate, lugubri satis ac luctuosa calamitate temporum, audita voce eorum qui sibi bene cupiunt, quasi filij sui ignauia torpescere viderentur. Ecce inquam à triennio, vbi aliquis templum honoris ingredi cogitauerit, & se in Academia ornari anhelauerit, eum publicam prius Monomachiam experiri voluit, vt quantum ingenio eruditione possit: illis qui tanquam in Areopago censores nulla habita ratione affinitatis & amicitiæ, sed ingenij & virtutis, & quod primo dicendum fuit pietatis & religionis, innotescat. Quibus Academicos quidam ore contumelioso, & æffreni aqua & igni interdixisse (proh dolor) obganniunt. Credo daturos improbos pœnas: didici enim adhuc puer, procacis linguæ vectigal esse calamitatem. Ne ergo occasionem arriperet curiositas, cuius muneris est velle

cognosce-

cognoſcere vitam alienam, deſes autem eſt ad corrigendam ſuam Vniuerſitas quantum cuiuſque valerent humeri, & quid ferre recuſarent, prorſus omnium qui ſibi incorporari velint cognoſcere volens ingenium & doctrinam, lege cauit, vt publicè multis diſputationibus quotannis in vtraque Philoſophia expeditis, iterum quæſtionem proponant, & quantum profecerint. illi qui ſe oppugnarint iudicium ferant. Cuius voluntati cum bene norim impium eſſe non parere tanto lubentius in paleſtram prodeo, quanto de ingenij mei tam in Philoſophia quam humanitatis litteris progreſſu iudicium grauiſſimorum virorũ exopto & expecto. Cæterum in hoc phrontiſterio poſito, cogitanti mihi diutius, cuius nam patrocinio meam hanc talem qualem opellam conſecrare deberem. Tu mihi primus & vltimus occurriſti. Ad te M. D. lucubratio hæc mea, vt in ſinu tuo conquieſceret, curſum accelerauit. Magnum rata tantum Patronum & litteratorum ſummum promotorem inueniſſe, vt & tuo iudicio probaretur & authoritate, quæ apud me magna fuit & eſt, tueretur. In cuius enim oculos

non incurrit (missa interim veteri & Illustri generis Tuorũ prosapia) tuus ille insignis ad studia litterarum ardor, in quibus licet ab ineunte ætate vixisti, etiam nunc per intermissionum interualla, amæniori negotio curarum eadem apponis. Quod dum facis vel ex Te solo quisque bene colligere potest, Sapientiam & virtutem vno quodam societatis vinculo contineri. Et dum ego repeto, actos Tecum Bauariæ dies, cum quanta beneuolentia, me Tuum vitæ, conuersationis, studiorum, pietatis inter alios ex Academia testem habere voluisti: & quo honore toto illo tempore manentem me affeceris, discedentem quam ægerime dimiseris, silendum potius quam pauca loquenda. Dicam verbo deinceps his neque si vellem possum, neque si possem volo, in alterius patrocinio, quam Tuo conquiescere. Age vero an robur maius ad propugnandum alterius est? Tuo! cuius in omnes partes omnium mentes verberant, tot virtutũ tuarum præcones, qui tua facta, vitæ probitatem, candorem, rari in hac ætate consilij maturitatem, & ab omnibus expetitam humanitatem, depredicant: qua sola, vbi

semel

semel in Illustri domo DEBINSCIORVM præter alias fixit pedem, vis inclarescere. Non possum licet velim me continere quin exclamem. Non degeneras se Franciscum à suorum sanguine & virtutibus, quibus inter aliarum virtutum ornamenta, humanitais sensisti esse pulcherimum. Quapropter M. D. quæstioni huic dicam tesseræ, mei in te amoris & obseruantiæ, sub patrocinio Tuo ad Te currenti humanitatis fores vt suêsti alijs aperias, & hoc nostræ erga te voluntatis Mnemosynon sereno vultu excipias, meq́; & nostram cum hoc suo instituto Academicam familiam non aliter ac si addictissimam Tuo nomini, beneuolentiæ Tuæ gratissimo sinu complectere.

Generosæ & Mag. D. Tuæ
deditissimus.

M. PAVLVS ZAPARTOWIC
ab Andrzeiow.

QVAESTIO.

V. Materia ſignata quantitate actuali: an vero materia ſecundum ſuam entitatem excluſa quãtitate: vel ſubſtantia compoſita quę videtur radicaliter indiuidua per entitatem poſitiuã, ſiue hæcceitatem, ſit principium adæquatum indiuiduationis, nec ne?

CONCLVSIO. I.

Materia ſignata quantitate actuali eſt prinprincipium adæquatum indiuiduationis.

COROLLARIA.

I. *Angelicus præceptor vbiuis locorũ ſuæ doctrinæ, nullum aliud ſingularitatis principium cognouit, niſi materiam ſignatam ob cuius doctrinæ ſubtilitatem*

viri doctißimi postquam in diuersas opiniones abierunt, etiam prudentiæ oculus Aristotelem intelligo, quamuis multis in locis aßerat materiam eße causam pluralitatis & multitudinis numericæ in rebus indiuiduis, non excludendo etiam etiam quantitatem, nihilominus difficille videtur quid per materiam signatam voluerit intelligere.

2. *Cum duplex sit constitutiuum & distinctiuũ indiuidui formale & tanquam indiuidualis differentia aliud radicale & tanquam indiuidualis differentia fundamentum. Hic de priori constituto & distinctiuo non est quæstio, sed de posteriori quod nam illud sit fundamentum, & radix singullaritatis per quam natura specifica, primo & per se redditur in communicabilis, & distincta ab omni alio.*

3. *Hos actus scilicet constituendi indiuiduũ, & ab alijs distinguendi, secundum rem separari, dicimus cùm Caietano Hynericum eße: tot non negemus quod à diuersis principiis proueniant.*

4. *Ista duo Materia & Quantitas nõ sunt in eodem gradu principia indiuiduationis. Materia enim est principium primario, quantitas secundario. Et hoc sint diuersorum generum nihilominus non constituunt vnum per accidens, sed vnum per*

se

ſe, hoc eſt ſingulare materiale. Quia materia & quantitas per ſe adunantur ad conſtitutionem indiuidui: & ita prima ſubſtantia vt eſt indiuiduum, includit in ſua ratione dimenſionem in obliquo, quod ſufficit vt dicatur ens per ſe.

V. *Non eſt tenendũ cum illis qui concedunt ſubſtantiam ſingularem ante aduentum quantitatis eſſe vnam tranſcendentaliter. Falſum enim eſt, quia illa nõ poteſt habere aliquam ſingularitatem ſi non eſt quantitas, ſed inchoationẽ tantum ſigularitatis.*

Concluſio I.

Materia ſecundum ſuam entitatem neque eſt indiuidua, neque principium indiuiduationis.

Corollaria.

1. *Difficultatem hanc ponimus non de materia Metaphyſice ſumpta, quatenus ſcilicet abſtrahit à materia ſenſibili: certum enim eſt quod hoc modo nõ includit accidentia ſenſibilia, quæ conſequuntur eiuſdem indiuidui generationem ſed ponimus prout conſideratur Phyſice, non abſtrahendo à materia*

sensibili, in qua consideratione includit actualem quantitatem & alia acidentia sensu perceptibilia.

II. *Materia præcise sumpta, & absq; vlla forma, quoniam non habet aliquod accidens cui immediate subijciatur. (quoniam primo aliquid debet esse simpliciter secundum formam substantialem, quam esse tale per accidens) manifestum est quod nullam sibi vendicet per se vnitatem & singularitatem. Alioquin non poßet aliam indiuiduationem recipere quod tamen Philosophi non admittunt: quia vt experientia comprobat. Infinitorum singularium sibi mutuo succedentium eadem numero materia recipit indiuiduationes.*

III. *Dato non conceßo quod sit principiũ indiuiduationis sufficiens materia nuda, profecto cadauer embrio, & non homo, eßent idem numero. Quia principium indiuiduationis numericæ in eis eßet omnino idem, hoc est eadem materia absolute sumpta. Quod non dicendum.*

IIII. *Hinc bene dicimus. Alio modo materiã totã omnium generabilium eße, vnum: alio modo partem materiæ, vt puta materiam Pauli, qui prius habuit formam embrionis, deinde animalis, tertio hominis, & tandem cadaueris Materia enim tota genera-*

nerbaliium est vna per negationem omnium formarum, beneq; dicitur vnitas negatiua at vero hæc pars materiæ, quamuis ad sui vnitatem requirat aliquam formarum negationem, hæc tamen sola non sufficit, quia adhuc exigitur distinctio, à reliquis partibus materiæ, quæ est per quantitatem.

V. *Vt diuersa loca Philosophantium bene possint intelltgi. Dicimus materiam esse partem quidditatis prout quiditas dicit totam rei essentiam. Alias essentia specifica non diceret intrinsecè totam essentiam indiuidui. Qui autem reiciunt materiam à quiditate, loquuntur de materia signata, & indiuiduali; quam vtiq; plurimæ sequuntur conditiones, quæ cum quidditate & essentia videntur pugnare.*

Conclusio III.

Quantitas concurrit ad indiuiduationem, velut primo distinguens indiuiduum ab omni alio.

Corollaria.

I. *Quia quantitas duplex terminata & interminata, dicimus vtramq, seruire negotio terminata ratione formæ indiuidui id est quantitas quæ termi-*

nso

nos habet maximi & minimi. Interminata autem quatenus est variabilis infra dictorum terminorum latitudinem.

II. *Cum sit etiam principium indiuiduationis extrinsecum, à quo nimirum hac natura fiat effectiuè hæc, & non illa. Quantitatem non illud intelligimus, sed principium à quo formaliter. Nam omnibus in confesso est principium extrinsecum indiuidui, & præcipue in fieri, esse agens extrinsecum.*

III. *Ex illo vulgari Aristotelis videlicet causas in diuerso genere causæ, inuicem esse sibi causas: bene dicimus, vt materia indiuidua sit causa quantitatis in genere causæ materialis, & quantitas concurrens sit causa materiæ signatæ & indiuiduæ in genere causæ formalis. Non aliter vt actus potentiæ.*

IIII. *Quia gradus genericus absq; specifico & differentiali in nullo instanti naturæ possit inueniri, ideo licet dicamus, materiam in actu per formam substantialem antequam superueniat quantitas, in genere causæ materialis: non tamen intelligere possumus hanc formam, vel hanc materiã, vel etiam hoc compositum, esse indiuiduum & singulare, & distinctum ab omni alio, nisi per quantitatem, cui per se iste effectus conuenit.*

5. Ni-

5. Nihil hic de substantia incoporea: vt excludantur intelligentiæ quæ seipsis & sunt absolutæ & subindiuiduæ.

Conclusio IV.

Substantia composita, quæ materia & forma simul vnitæ cum exclusione quantitatis, non est vnum totale & adęquatum indiuiduationis principium.

Corollaria.

1. Non est idem indiuidui & indiuiduationis quærere principium. Iam vero materia est principium, tam indiuiduationis quam etiam indiuidui: constituit enim compositum particulare. Quantitas autem est principium iudiuiduationis substantiæ materialis, non constituens substantiam, sed solum ab omni alio distinguens.

2. Forma licet constituat hoc aliquid quia dat esse completum, id tamen in natura specifica, & non in indiuiduali: Quamuis autem idem sit principiũ vnitatis, quod entitatis, eo tamen modo & ratione est principium vnius, quo est principium entis. Vnde & Paulus est in prædicamento substantiæ, sed

materia

materia & forma non poßunt eum indiuiduare, vt singularis est, nisi recepta prius determinatione ex Quantitate.

3. Distinctio qua primo hæc materia ab illa secernitur & consequenter hæc forma ab omni alia & tandem hoc compositum ab omni alio, neceßario attribuitur quantitati, velut primæ radici. Id enim materię tribui non potest, cum sit indifferens, & non nisi per negationem vna, quæ tamen vnitas non sufficit ad singularitatē positiuam. Neq; formæ: cum sit quiddam commune. Neq; composito: quia illud supponit materiam singularem & formam.

4. Licet sit iste effectus solius quantitatis, non tamen dicimus quod ab illa desumatur complete indiuidualis differentia, sed bene à materia & forma per quantitatem determinatis. Neq; dicimus quod faciat vnum numero substancialiter & absolute, sed tantum quo ad distinctionem ab aliis eiusdem speciei.

5. Vbi dicit Philosophus substantiam priorem eße naturaliter accidente intelligendum est de substantia, vt substantia est, non autem vt talis est. Et proinde licet prima substantia materialis precedat naturaliter quantitatem in eße substantiæ. Quia

qua

quælibet prima substantia prius est ens in se, quam distinctum ab alio: non tamen præcedit quantitatem quo ad omnia quæ pertinent ad suam completam indiuiduationis. Imo quantum ad hoc quod est distingui, demõstrari, determinari ad hoc, & nunc sequitur & præsupponit quantitatem potest enim intelligi absq; quantitate prout incommunicabilis est, sed non potest vt indiuidua est complete.

Conclusio V.

Entitas positiua siue hæcceitas, potest formale principium indiuiduationis dici, ad modum differentiæ indiuidualis.

Corollaria.

1. *Hæcceitas præsupponit materiam signatam dimensionibus, & ab ea dependet sicut specifica differentia a forma.*

2. *Nihil impedit differentiam numeralem fieri per accidentia.*

3. *Quia ipse author Hæcceitatis admittit, quod sit actus & forma singularis hæcceitas, non poterit reponi in aliquo prædicamento per se. Si quidem sin*

gularia vt singularia non reponuntur in prædicamentis per se.

4. Licet indiuiduorum naturalium differentiæ reducantur ad primo diuersa, nõ tamen ad entitates positiuas. Indiuidua enim differunt numero per suas materias sub quantitate, quantitates differunt suis sitibus, prout situs dicit ordinem partium in toto: situs autem differunt ordinibus partium ordines aut seipsis. Et hic est status. Quod non vult Scotus.

5. Hæcceitas vt sit principium indiuiduationis radicale videtur hæc sententia etiam peripateticis odiosa, vt colligitur ex Aristotele tertio & duodecimo suæ Metaphysicæ.

